

C. B. D.

§. 1.

SI Plinio ii, qui voluptatibus dediti, quasi in diem vivunt, vivendi causas quotidiè finire, rectè dicuntur; Epist. L. V. 5. Illi certè vivendi causas, semper habebunt, quorum vita in ingenio est, continuâq; rerum cognitione nutritur. Voluptarii enim uti quotidiè sibi aliisque; satis faciunt, nihil melius alio die expectantes; ita hi sapientiæ consulti non tantùm quid actum, sed quid agendum, quidq; cognoscendum, pari lance expensum habent; & scientiæ jam acquisitæ memores, & præmittere festinantes cogitationes solliciti, ad ea quæ cognoscenda sunt. Et hoc sensu verè dixit quicumq; dixit: Scientiam, id est rerum cognitarum veritatem, nostræ animæ esse epulas, & pabulum. Diutinâ fame cui intestina creparunt, si tandem alimentum consequatur, rem ex voto successisse gaudet acquiescitq;. Anima de rerum veritate anxia, quid non molitur, ut eam latentem eruat? Si consecuta fuerit, tacita gaudia captat; hujusq; possessionem nullâ curâ auri vi, nulla argenti, ulliusvè amicitia commutatam velit.

§. 2. Retinuit appetitum hunc animus noster, postquam exitiali Protoplastorum lapsu scientiâ ipsâ penè excidit. Uti ad extinctum lumen oculi in tenebris; ita cœcutientia hominum ingenia ad primam illam intellectus lucem desiderio suô feruntur, magis, ut dolendi felicitatem amissam, quàm superbiendi in cognitione suâ occasionem habeant. Fallitur enim ut plurimum conatus noster; & sicut vulpes elusa à ciconia vitreum vas lambimus, pulterem haud attingimus.

§. 3. Quòd si verò imbecillitatem illam rectè attenderimus, extra, an intra nos ignorantia causas quærere debeamus, facile judicare poterimus. Habitemus modò nobiscum, & excutiamus supellectilem, penuriamq; non injuriâ naturæ sed incuriâ nostrâ accersitam esse deprehendemus.

§. 4. Nec mirum hoc nobis videri potest. Omnis enim illa